

Cogitationes de Orthodoxia

Autor(en): **Osterwaldius, J. Rudolphus**

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 8

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394611>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.



(*) COGITATIONES
de
ORTHODOXIA.

THESIS I.

OΡΘΟΔΟΞΙΑΣ vocabulum, si Etymon spectes, nihil aliud significat, quam *rectum de re aliqua sensum aut opinionem*, quemadmodum ὀρθόδοξος *recte sentientem* denotat: quod nomen veteres crebro usurparunt, ad vera de Religione Christiana statuentes ab iis, qui prava opinione imbuti erant, discernendos. Hoc sensu inter alios *Justinus Martyr* nomine ὀρθόδοξος & ὀρθόδοξίας sæpe utitur, & *Theodoretus* in Dialogis eum, qui

(*) Istæ cogitationes Auctorem habent Virum Clariss. JO. RODOLPHUM OSTERWALDIUM, J. FRIDERICI Fil. Neocom. nunc autem apud Gallicam Eccl. quæ Basileæ colligitur, Pastorem Venerandum; quas An. 1708, quum Studiorum gratia in Academia Basileensi ageret, publicæ Disputationis loco proposuit, sub præsidio Summi Theologi D. SAMUELIS WERENFELSII.

qui veram sententiam tuetur, ὀρθόδοξον appellat. In Scriptura hæc nomina totidem verbis non ex-
tant; reperitur tamen aliud, quod ejusdem aut
vicinæ significationis videtur: ubi Paulus discipu-
lum hortatur ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας 2.
Tim. 2. 15. quemadmodum enim καινοτομεῖν signifi-
cat novas vias secare, aut rebus novis studere,
ita ὀρθοτομεῖν significare videtur, in verbo veritatis
tractando rectam viam ingredi. *Orthodoxia* oppo-
nitur *Heterodoxia*, aut, quo vocabulo Apostolus
utitur, τὸ ἑτεροδιδασκαλεῖν, id est, in docendo a
recta via aberrare, 1. Tim. 6. 3.

II. Est itaque *Orthodoxia*, ut hoc vocabulum ad
præsens institutum applicem, *recta ac sana opinio
de dogmatibus, ad Christianam Religionem pertinenti-
bus*. Dico: *recta opinio*, non recepta, aut quæ
post varias altercationes priores partes in orbe ob-
tinuit, & de opposita sententia triumphavit. Quo
sensu olim Cultores imaginum, postquam supe-
riores facti sunt, suam Idolomaniam *Orthodoxi-
am* appellarunt: usque eo, ut in memoriam ima-
ginum restitutarum festum anniversarium institue-
rint, quod vocarunt, πανήγυριν, aut ἑορτὴν τῆς
ὀρθοδοξίας, *festum Orthodoxiæ*. Nobis contra ille
Theologus magis aut minus orthodoxus est, pro-
ut ejus opiniones de Christianæ Religionis capiti-
bus, magis, aut minus sunt veritati consentaneæ:
Ille magis, aut minus *Orthodoxiæ* amator, qui
magis, aut minus est amator veritatis.

III. Hæc *Orthodoxia* minime spectanda est ve-
lut res nullius aut parvi momenti: in quam sententi-
am multi propendere videntur, qui putant parum
referre,

referre, cuinam sententiæ, inter eas quæ Christianos hodie dividunt, addictus sis; dummodo in ea, in quam incidisti, Secta pietati & probitati studeas. Verum quidem est, totam nostram Theologiam ad pietatis praxin referendam, eosque non habere quod de Orthodoxia sua glorientur, qui in nuda veritatis cognitione subsistunt &, ut loquitur Apostolus, *formam*, sive ideam, *pietatis habentes*, *vim ipsius abnegant*, 2. Tim. 3: 5. 1. Corinth. 13: 1. Joh. 2. v. 4. & 9. Sed ab altera parte & hoc certum est, nullam praxin Deo gratam esse, quæ falsæ, aut in Deum contumeliosæ Theoriæ superstruitur, pietatemque sine veritate non pietatem esse, sed superstitionem. Unde Apostolus hæc duo in veræ Theologiæ definitione conjungit: quando illam vocat *cognitionem veritatis quæ secundum pietatem est*. Tit. I. 1. Et si veritatis cognitio esset *ἀδιάφορον τι*: cur DEUS eam nobis, idque per proprium Filium revelasset, tot stupendis miraculis confirmasset, totque Martyrum sanguine obsignasset?

IV. Cum vero solemne sit, ut quilibet sententiam suam Orthodoxam putet: necesse est, ut recurramus ad certam ac constantem *regulam & normam*, unde quis hanc appellationem sibi, & suæ sententiæ vere tribuat, statuere possimus. Hæc norma nulla alia est nisi *Sacra Scriptura*, quæ sola est certum atque infallibile DEI verbum; quod multis probare non nostri est instituti: cum factum hoc sæpe sit a Theologis nostris, adversus Pontificios disputantibus, qui huic regulæ tum traditiones, tum Ecclesiæ suæ auctoritatem addunt. Neque enim alia norma quærenda est Or-

thodoxiæ, id est, rectæ sententiæ de dogmatibus ad fidem christianam pertinentibus, quam fidei ipsius. Hoc unicum Reformatis inculcandum est, ut in suis de Orthodoxia judiciis hujus principii semper sint memores, ne, postquam Pontificiorum traditiones rejecerunt, *alia humana scripta in illorum locum substituant, ea verbo DEI æquivalent, tantamque iis auctoritatem tribuant, ut ab illis tanquam scriptis ædemonstratis ad sacram Scripturam non detur regressus.*

V. Sua quidem & his auctoritas est & usus non levis, in hoc ipso de Orthodoxia judicio rite instituendo. Inde enim videmus, quænam dogmata ante nos a piis & doctis hominibus Ecclesiisque Christianis magni nominis, pro veris & Orthodoxis sint habita, & etiamnum habeantur; quorum judicium, sine *αὐθεντία* contemni non potest. At quancumque id faciamus, conscientia tamen in eo acquiescere non potest, antequam convicta sit, id verbo DEI esse conforme. Recte Augustinus: *Hoc genus litterarum, inquit, ab auctoritate canonis distinguendum est, & alibi: Disputationes quorumlibet quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, non velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, & alibi: Ego solis iis scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc honorem timoremque deferre, ne nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam.*

VI. Ex hac ergo sola norma de Orthodoxia quilibet judicare debet, sive ut ipse certus sit,
opi-

opiniones suas esse revera, ut illas esse putat, Orthodoxas; tum ut sciat, quinam in album Orthodoxorum referendi, quinam ex illo expungendi sint, ac, temere in re tanti momenti judicando, nulli faciat injuriam. Confirmat hoc Apostolus 1. Tim. 6. 3. cum illum solum dicit ἑτεροδιδασκαλεῖν qui μὴ προσέρχεται ὑγιαίνουσι λόγοις τοῖς τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, καὶ τῇ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ, qui non adhæret sanis sermonibus D. N. J. Christi, & doctrinæ quæ secundum pietatem est. Ex quo loco quid Orthodoxia pariter & Heterodoxia sit, clarissime cognoscimus.

VII. At enim dicet aliquis: Quomodo Scriptura Sacra, & quidem sola, Orthodoxiæ norma esse potest, de cujus sensu tot inter Christianos sunt lites? Annon hæc est Regula Lesbia, quæ ad quidlibet accomodari potest? Huic objectioni ut occurratur, autem omnia nomen Orthodoxiæ distinguendum est. Sumitur enim illud vel sensu ampliori, pro recta opinione de quibuslibet dogmatibus Theologiam quoquo modo spectantibus: vel sensu magis restricto, pro recta sententia de articulis ad Christianæ Religionis essentiam pertinentibus, &, ut loqui solent, fundamentalibus. Priori sensu si Orthodoxia accipitur, facile concedimus, non omnia dogmata, in quibuscunque Doctores inter se disfidere possunt, tam perspicue in Scriptura Sacra definita esse, ut circa illa Theologi etiam pii, docti, veritatisque studiosi diversum statuere non possint. Sed inde minime sequitur, Sacram Scripturam esse imperfectam Orthodoxiæ normam, etiam quoad ista dogmata; quousque videlicet in talibus DEUS servos suos in hac vita Orthodoxos

esse voluit. In hac enim caligine nihil aliud ab illis poscit, quam ut veritatem sincere quærant, a quibuslibet erroribus sibi sedulo caveant, iis etiam qui leviores videntur; cum sæpe pronus sit, (quæ dogmatum Religionis est connexio,) ab his in graviores lapsus: Ut propterea nulla media negligant, ad eos evitandos necessaria, Scripturas scrutentur, dociles, modesti, humiles sint, & in obscuris definiendis non temerarii, meliora monenti cedant, *omnia probent, & quod bonum est retineant.*

VIII. Hæc fere nostra est, circa dogmata Religionis non essentialia, Orthodoxia, in hujus vitæ tenebris, in quibus etiam perspicacissimi ex parte tantum cognoscunt: Orthodoxia, quæ, si verum fateri volumus, in sincero potius veritatis studio, quam in ejus comprehensione consistit. Ex quo enim Apostoli terris ademti sunt, nulli amplius doctores, etiam sanctissimi, & ne Martyres quidem, qui Christianam fidem sanguine suo confirmarunt, ἀναμάρτητοι fuere: imo nonnulli eorum, ut ex scriptis etiam nunc extantibus liquet, in errores, qui vix hodie tolerarentur, inciderunt: Deo procul dubio id permittente, ut disceremus nostris opinionibus non nimium tribuere, & errorum veniam quotidie & aliis dare, & vicissim ab iis petere. Τελειότης & ἀναμαρτησία est, si dicere licet, Orthodoxia alterius seculi: ubi non amplius per *speculum & ænigma* cernimus, non amplius *per fidem ambulamus, sed per aspectum*: Orthodoxia, cujus suo tempore cognoscendæ qui serio desiderio flagrat, non tam affectare debet in præsentī hac vita perfectionem scientiæ, quæ

quæ in eam non cadit; quam laborare, ut concessæ hic piis verbi Dei scrutatoribus cognitionis mensuræ, quantulacunque est, convenienter vivat.

IX. Quod vero attinet ad Orthodoxiam *altero sensu* acceptam, quoad substantiam salutiferæ nostræ Religionis, ac fundamentalia ejus dogmata: Sacra Scriptura non modo unica hujus, sed & perfectissima, & clarissima norma est; Continet enim omnia necessaria fidei capita, non plene modo, sed dilucide & perspicue; ut post Patres doceant Reformati omnes contra Doctores Ecclesiæ Romanæ. Consistit autem hæc perspicuitas in eo, quod dogmata ista in Scriptura traduntur non obiter tantum, sed ex professo, & inculcantur singulari cum cura, non semel sed sæpius, non verbis ambiguis & obscuris, sed talibus, quæ sine manifesta vi in alienum sensum torqueri nequeunt: ita denique proponuntur, ut non solum veritas, sed & eorum momentum, & necessitas, aut diserte exprimatur, aut non obscure significetur. Ita v. g. traduntur in Sacra Scriptura dogmata illa fundamentalia, de sacro-Sancta Trinitate, Patre, Filio & Spiritu Sancto, in quorum nomine omnes Christiani baptizari debent; Doctrina de Jesu Christo, unico salutis fundamento, *præter quod aliud nemo ponere potest*: de vera ejus Satisfactione, & expiatione peccatorum nostrorum per mortem ejus facta: de ejus Divinitate, quæ sine hujus cognitione digne æstimari nequit: de summa Dei erga homines misericordia, quam in eo demonstravit, quod proprium & unigenitum suum Filium pro illis in mortem dedit: de fide in Christum, ejusque natura & necessitate ad salu-

tem: de necessitate bonorum Operum, eorumque indivulsa cum fide connexion: de Gratia DEI externa pariter & interna, de utriusque necessitate & efficacia &c. Ita rejiciuntur & condemnantur omnes errores noxii & exitiales circa resurrectionem, circa cultum soli DEO debitum, circa Justificationem, Operum merita &c.

X. Sed fortasse hic nobis objicietur: Si hæc & alia fundamentalia dogmata, tam aperte & clare in Scriptura traduntur & inculcantur; qui fiat igitur, quod sint inter eos, qui hujus libri auctoritatem nobiscum agnoscunt, qui in his quoque ab Orthodoxia abeant; annon inde concludendum sit, præter sacram Scripturam aliam ejus normam esse quærendam? Resp. 1. Sæpe hoc inde venit, quod ii qui Sacrae Scripturae auctoritatem agnoscere videntur, eam tamen serio pro vera ac unica Orthodoxiæ norma non habeant. Hoc de se Pontificii candide agnoscunt, qui Scripturae Sacrae tum traditiones suas, tum Ecclesiæ auctoritatem aperte adjungunt. Sed non soli Pontificii hanc in partem peccant. *Non desunt & alii, qui pari, qua Scripturam, si non majori pietatis affectu, excoſculantur aut propria inventa, aut præjudicia ab aliis hausta, Dogmata, Scripta, & Systemata hominum, atque ex iis sæpenumero potius judicant de Orthodoxia & Heterodoxia, quam ex Sacra Scriptura, ita ut hæc non tam eo scopo ab iis legatur, ut quid Orthodoxum sit ex illa discant, quam ut, quod ante ejus lectionem verum & Orthodoxum creditum est, ex ea confirmant, & ad illud Scripturam detorqueant.* Quod de Fausto Socino judicat summi judicii Vir Steph. Gaussenus, cujus verba non ab re erit hic de-

describere : Nos profecto , inquit , cum Fausti Soci-
ni libros legimus , hoc nobis videtur videre , in id la-
borasse hominem , ut sibi Theologiam pareret , quæ hu-
manæ rationi maxime probaretur , ad quam postea ,
ut ingenio suo mirum in modum confidebat , verbum
DEI otiose detorqueret. Diff. de Nat. Theol. 11. Caus-
sa hujus rei est , quod negliguntur Media ad Sa-
cram Scripturam , etiam ubi clarissime loquitur ,
recte & salutariter intelligendam necessaria ; quod
ubi fit , nihil tam perspicuum Deus hominibus da-
re potuisset , quod non insufficiens fidei & Or-
thodoxiæ norma fuisset.

XI. Media autem hæc , quæ pariter media
præcipua sunt Orthodoxiæ in Ecclesia conservan-
dæ , & restituendæ , & quorum neglectus omnis
Heterodoxiæ causa est , ad tria referimus 1. De-
vota & humilis inquisitio rectæ & salutaris doctri-
næ in S. Scriptura. Non posco simpliciter Sa-
cræ Scripturæ lectionem : ut innuam quo scopo
divinus iste Liber legendus sit , si quis velit rectam
salutis viam in ea invenire , & ab hac non aber-
rare , serio considerandum semper est , Scriptu-
ram ad hoc nobis datam esse , ut nos ad salutem
sapientes reddat , & hoc potissimum , non aliud ,
in ea quærendum. Qui sibi hic alium finem pro-
ponunt , & Scripturam legunt , vel ut vanæ cu-
riositati satisfaciant , vel ut in ea inveniant exer-
cendi ingenii materiam , vel ut ex ea aliquid dis-
cant aut retineant , quod ostentent : vel denique
in ea potius quærunt viam ad gloriam , dignitates
& emolumenta , quam viam salutis æternæ ; ii
omnes in evolvendo sacro isto Libro nihil , aut ali-
ud agunt : & mirum non est , si id , quod ne qui-

dem quærent, non inveniunt, imo si quando turpis hujus abusus Scripturæ pœnas dant, & DEO ex justo judicio id permittente, in exitiales errores incidunt. Sed hæc inquisitio *devota* esse debet, ut Scripturas non legamus tanquam librum profanum, sed, ut revera est, tanquam verbum DEI, & identidem cogitemus, nos, cum illud evolvimus, ipsum os Domini consulere, & quidem de re maximi momenti, nempe de modo salutis æternæ consequendæ; debet etiam hæc lectio esse *humilis*, ut ea quæ clare tradita sunt, quantumcunque in se difficilia sint, submissa mente accipiamus, & si quorundam sensum non assequimur, ignorantiam nostram candide agnoscamus.

XII. *Alterum medium*, sunt fervidæ ad DEUM preces, sine quibus lectio Scripturæ nunquam est aggredienda: sed petendum semper, cum id facimus, a DEO, ut nobis oculos retegat, quo *cernamus mirabilia*, quæ in verbo suo revelavit: Spiritu suo nos regat & *in omnem veritatem ducat*. Hoc si quis negligit, mirum non est, si is sibi relictus, a recta salutis semita graviter aberrat. Contra si quis serio persuasus, se nulla in re magis, quam in negotio tanti ponderis, *sapientia indigere*; hanc petit a DEO, qui dat omnibus *benigne, neque exprobrat*, illi certo hæc sapientia *abitur*. Jacob. I: 5.


XIII. *Tertium medium* est constans & sincerum pietatis studium: Cui enim hæc ante omnia cordi est, ita ut hujus studium, studium veritatis semper dirigat; is in cognitione mysteriorum fi-
dei,

dei, quæ mysteria pietatis sunt, i. e. mysteria ad pietatem tendentia, & ad eam credentes efficacissime incendunt, is, inquam, in horum cognitione a recta via nunquam periculose aberrabit. Ideo Scriptura Sacra docet, *DEI timorem esse initium Sapientiæ & DEUM arcana sua retegere se timentibus. Ps. CXI: 10. Proverb. I: 7. Psal. XXV: 14.* Quemadmodum contra Auctor libri sapientiæ, *Sanctum Spiritum*, ait, *disciplinæ fugere dolum, & in malitiosum hominem sapientiam non ingredi.* Nemo vero clarius hoc unquam declaravit, quam ipse noster Salvator, in celebri illo dicto, quod utinam omnium Christianorum, eorum imprimis qui Theologiam & sacras Literas tractant, altissime esset insculptum animis! *Joh. VII: 17. Si quis voluerit ejus, nempe Patris mei, voluntatem exequi, cognoscet de doctrina, utrum ex DEO sit, an ego a me ipso loquar.* Quæ verba ita placuerunt docto & pio Theologo *Danieli Tossano*, ut ea, tanquam insignem veritatis indagandæ canonem, Dissertatione peculiari explicare operæ pretium duxerit: in qua hæc inter alia leguntur verba, memoratu dignissima: *Valde igitur deplorandum est, nullos etiam hoc tempore sibi magis sumere virgulam censoriam & judicium de controversiis Religionis, quam homines vel palam irreligiosos & profanos, vel quibus nec veritatis studium, nec voluntatis Divinæ inquirendæ, sed sua tantum dogmata pertinaciter tuendi, desiderium propositum est.*

XIV. DEUS patefaciat veritatem omnibus, qui illam serio quæerunt: iis qui sub pretextu *Orthodoxiæ* de suis tantum opinionibus, suæque autoritate stabilienda solliciti sunt, sincerum veritatis & *Orthodoxiæ*

*doxiæ amorem inspiret : nobis omnibus hanc gratiam
faciat , ut in iis , quæ in hac mortalitate comprehende-
re non possumus , a temeritate definiendi , nobis cavea-
mus , atque , alii alios sicubi labimur , patienter fe-
ramus.*

FINIS.



J. S.